CASUS

DE RE

DOGMATICA, MORALI, ET LITURGICA

QUI RESOLVEBANTUR

IN PUBLICIS COLLATIONIBUS THEOLOGICIS

HABITIS

IN ECCLESIA CATHEDRALI MONTISREGALIS

ANNO MDCCCLXIX

ILL.MO AC REV.MO D. D. EPISCOPO


FR. JOANNE THOMA GHILARDI

PRÆSIDE

ET THEOLOGO CANONICO

STANISLAO EULA

EARUMDEM COLLATIONUM DIRECTORE



MONTEREGALI

APUD JOSEPH BIANCO IMPRES. EPISC.

MDCCCLXX.

PROPRIETAS.

EX THEOLOGIA DOGMATICA.

CASUS I.

Ad oppugnandum Concilium Œcumenicum Vaticanum a Summo Pontifice Pio IX nuper indictum, arma acuunt Protestantes, atque aiunt: Concilium Œcumenicum in fidei morumque quaestionibus definiendis errare potest; cum enim singuli Episcopi, ex quibus Concilium Œcumenicum constat, falli possint, prout saepe falluntur, nulla videtur esse ratio, cur omnes simul falli nequeant. Praeterea inerrantia sanctitati eorum, quibus conceditur, est alligata; quia absurdum est, ibi adesse Spiritum Sanctum ubi eius gratia sanctificans abest; cum autem compertum nobis non sit an Episcopi in Concilio congregati sanctitate sint praediti, nec certi esse possumus de infallibili Conciliorum auctoritate. Hinc nullo unquam canone definitum Conciliorum generalium decreta dogmatica esse infallibilia; quia tunc nullum discrimen interesset inter Concilia Œcumenica et Biblia Sacra; quod nemo profecto affirmare poterit. Demum si juxta Catholicos Romanus Pontifex *ex Cathedra* docens errare nequit, superfluum est cum tot dispendiis et incommodis Concilium Œcumenicum convocari, cum ab eodem solo Romano Pontifice possit infallibili auctoritate quaelibet dirimi quaestio.

Quaeritur 1. Quid sit Concilium Œcumenicum? — Quid requiratur ut vere Œcumenicum dici possit?

Q. 2. Firmis argumentis demonstretur Concilium Œcumenicum rite ac legitime celebratum in fidei et morum definitionibus errare non posse?

De singulis, quae proferunt Protestantes, iudicium feratur.

RESOLUTIO.

Resp. ad Q. 1. Concilium Œcumenicum est conventus, ad quem, Romano Pontifice indicente, atque per se vel per suos legatos praesidente, totius orbis catholici Episcopi vocantur ad deliberandum de maximis Ecclesiae universae negotiis.

Ut Concilium vere Œcumenicum dici possit requiritur legitima *Convocatio*, legitima *Celebratio*, et legitimus *Exitus*. *Convocatio* Œcumenici Concilii ad Romanum Pontificem totius Ecclesiae Caput pertinet, adeo ut Concilium tanquam legitimum minime sit habendum, nisi ab ipso convocatum fuerit, vel ab alio ex eius auctoritate et consensu, aut saltem nisi convocatio ab alio facta rata deinde ab ipso habita fuerit. Convocantur autem omnes catholici Episcopi, qui sunt divinae traditionis custodes, et in rebus fidei iudices a Deo constituti. Iure ecclesiastico etiam admittuntur, et subscribunt S. R. E. Cardinales episcopali ordine non insigniti, Abbates iurisdictionem quasi episcopalem habentes, Moderatores, sive uti vocant, Generales Ordinum Regularium. Ad *celebrationem* quod attinet, legitima haec est, si Episcopi convocati saltem eo numero adsint, ut Ecclesiam repraesentare possint (non enim ad mathesis amussim moralia exigenda sunt), si nulla cogente vi, nullo metu congregatis Patribus incusso, plena sit discussionis, suffragiorum, ac sententiae ferendae libertas. Demum legitimus est *exitus* cum approbatio, et confirmatio Romani Pontificis accedit. Non enim universalis Ecclesiae sententia dici poterit, cui non adhaereat, qui potior in Ecclesia est, eiusque Caput.

Resp. ad Q. 2. « Concilium Œcumenicum rite ac legiti» me celebratum in fidei et morum definitionibus errare non » posse » demonstratur ex eo quod Concilium Œcumenicum

exhibet Ecclesiam ipsam in unum moraliter collectam, quae proinde si per orbem diffusa falli nequit, neque errori erit obnoxia in Concilio congregata. Quapropter ad Concilia Œcumenica pariter spectant illa Divina effata: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam* (1); - *Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi* (2);-*Est columna et firmamentum veritatis etc.* (3). Ergo Œcumenicum Concilium pollet inerrantia universalis Ecclesiae propria. — Praeterea Concilium Œcumenicum ad instar primi Concilii Apostolici Hierosolymis celebrati, quod caeteris normam et exemplar praebuit, dicere potest: *Visum est Spiritui Sancto et nobis* (4); iamvero quod *Spiritui Sancto visum est*, non potest non esse infallibile. — Idipsum confirmatur ex aperta et expressa unanimi Sanctorum Patrum doctrina, qui in eo conveniunt, ut vocent *ultimum Ecclesiae iudicium* definitionem dogmaticam Conciliorum (5), haereticos pronuncient eos, qui illi refragantur (6); *Divina et a Spiritu Sancto edita* affirment Conciliorum decreta (7); ea tanquam *Evangelia* se venerari

(1) Matth. XVI. (2) Matth. XXVIII.

(3) I Thimot. III 15. (4) Act. Apost. XV 28.

(5) S. Athanasius *Epist. ad Epitectum* opp. edit. maur. Tom. 1 part. 2 pag. 901 seqq. - S. Epiphanius *Haeres.* 77. - S. Leo M. *Epist.* edit. Ballerin. 90 *ad Imp. Marcianum* cap. et 2 alibi. - Gelasius *Epist. Ad episc. Dardaniae* in collect. conc. ed. venet. Coleti, Tom. 5 col. 325. - Concil. Ephesinum in Epist. *Tractactoria* apud Harduinum acta Conc. Tom. col. 1623 seqq. - Conc. Chalced. *Actione* 5 ibid. Tom. 2 col. 447 seqq.

(6) S. Athanasius *Epist. ad Afros* edit. et loc. cit. col. 891 seqq. - Gregorius M. *Epist. 1 ad Cledonium, seu orat.* 51 opp. edit. Paris. 1630 Tom. 1 pag. 738. - Leo M. *Epist.* Edit. cit 162 ad Leonem August. col. 1339 seqq. - Basilius *Epist.* 125 ed. maur. opp. tom. 3 pag. 214 seqq. - Concil. Chalced. loc. cit

(7) S. Athanasius epist. cit. *a l Afros.* - Gregorius Nazianzenus orat. 21 in S. Athanas. ed. cit. tom. 1 pag. 361. - Leo M. Epist. 106 ed. cit. cap. 2 col. 1161.

profiteantur(1); denique adserant moriendum potius quam vel minimum ab œcumenicis dogmaticis sanctionibus recedere (2). Quae sane omnia luculenter evincunt nullo non tempore, uti infallibilia habita fuisse Concilia Œcumenica legitime celebrata. — Huc accedit consensus totius antiquitatis, quae constanter ut haereticos et schismaticos, atque a via salutis errantes existimavit eos, qui Concilii alicuius Œcumenici dogmaticis definitionibus se subjicere detrectarent: contra uti martyres reputavit quotquot pro fide in Conciliis Œcumenicis sancita, passi sunt (3); quae quidem decretorium et infallibile Conciliorum Œcumenicorum iudicium ostendunt.

His praemissis facile est iudicium ferre de singulis, quae ad oppugnandum Concilium Vaticanum proferunt Protestantes. Revera primo falsum est quod aiunt « Concilium Œcumenicum in fidei morumque quaestionibus definiendis errare posse »; in hisce enim quaestionibus definiendis infallibile prorsus esse Concilium Œcumenicum sat superque evincunt argumenta nuper allata. — Non inficiamur quod addunt Protestantes « singulos Episcopos, ex quibus Concilium Œcumenicum constat, falli posse »; male tamen inferunt « nullam videri esse rationem, cur omnes simul falli nequeant ». Etenim singuli Episcopi possunt quidem in errorem prolabi, non tamen omnes; quia Divina infallibilitatis promissio facta est non singulis seorsim Episcopis, sed omnibus collective, prout Ecclesiam constituunt, aut repraesentant. — Falso prorsus asserunt « inerrantiam sanctitati eorum, quibus conceditur, esse alligatam »; inerrantia enim Conciliorum non profluit ex intrinseca Episcoporum virtute, sed ex extrinseca ope Spiritus Sancti, quem Ecclesiae nunquam defuturum repetitae saepius Christi promissiones

(1) S. Greg. M. Epist. lib 1. 25 ed. maur. opp. tom. 2 col. 515.

(2) Cons. Bellarminum *De Conc.* lib. 2 cap. 3.

(3) Plurimorum istorum Martyrum nomina recenset Martyrologium Romanum.

nos certos reddunt; hae autem promissiones nulli conditioni sunt alligatae, sed absolute omnino sonant: *Ecce ego vobiscum sum etc.* (1). *Portae inferi non praevalebunt etc.* (2). — Neque sequitur quod opponunt Protestantes « absurdum esse, ibi adesse Spiritum Sanctum, ubi ejus gratia sanctificans abest ». Non enim repugnat Spiritum Sanctum Concilii Patribus, atque iis etiam, qui sanctitate carent, advigilare ne errent in revelata doctrina detegenda, atque exponenda in bonum Ecclesiae divinitus institutae; haec enim est gratia gratis data in aliorum utilitatem, quae etiam peccatoribus tribui potest, uti patet ex Apostolo Paulo (3). — Hinc « licet compertum nobis non sit an Episcopi in Concilio congregati sanctitate sint praediti » male tamen inferunt Protestantes, « nec certos nos esse posse de infallibili Conciliorum auctoritate ». Nam ex Christi promissionibus certi omnino nos sumus de Conciliorum Œcumenicorum infallibilitate, atque ad hanc sanctitas minime requiritur in Episcopis, utpote qui non virtute propria, sed Divina sunt infallibiles.

Esto « nullo unquam canone definitum Conciliorum Generalium decreta dogmatica esse infallibilia »; nil tamen inde contra thesim nostram potest inferri. Hanc enim infallibilitatem luculenter evincunt argumenta superius allata, Ecclesia eam semper firmissime tenuit ac professa est, quin ulla fuerit hactenus necessitas eamdem peculiari et explicito canone definiendi. Ecclesiae autem hac in re consensus ex eo patet, quod inter haereticos deputaverit illos omnes, qui solemnibus Conciliorum dogmaticis definitionibus obsistere ausi fuerint; quae constans agendi ratio Ecclesiae perpetua quaedam declaratio est, ac definitio infallibilitatis, qua pollent decreta dogmatica Conciliorum Generalium; adde iniquum esse sub tam gravi poena obligare fideles ad assentiendum decretis, quibus falsum subesse posset.

(1) Matth. XVIII. (2) Matth. XVI. (3) I Cor. XIII.

Quamvis Conciliorum Œcumenicorum decreta dogmatica sint infallibilia, non inde sequitur « nullum discrimen interesse inter Concilia Œcumenica et Biblia Sacra ». Nam decreta dogmatica Conciliorum eduntur per solam Spiritus Sancti *adsistentiam*, ut vocant, qua Concilii Patres immunes redduntur ab omni errore in veritate revelata detegenda, atque exponenda; Biblia vero Sacra sunt divinitus *inspirata*, quatenus Spiritus Sanctus per suam jugem ac singularem adsistentiam non solum immunes reddit ab errore Scriptores Sacros, sed etiam eorum mentem illustrat, atque voluntatem movet, eosque excitat et impellit ad scribendum quae ipse deligit, ita ut Scriptores nihil omittant aut adjiciant ad ea, quae Deus scribi ab ipsis velit. Praeterea Concilia Œcumenica infallibilia sunt in obiectis solum definitionum dogmaticarum, non autem in motivis quibus moventur aut innituntur ad edendam definitionem, multo vero minus in iis, quae ad personas referuntnr, ad res physicas etc. quae necessariam connexionem non habent cum dogmate; infallibilis vero Bibliorum auctoritas protenditur ad omnes omnino eorum partes, videlicet ad eas quoque ubi nec dogmata, nec praecepta enunciantur.

Tandem ad ea, quae subdunt Protestantes « si iuxta Ca- » tholicos Romanus Pontifex *ex Cathedra* docens errare » nequit, superfluum est cum tot dispendiis et incommodis » Concilium Œcumenicum convocari, cum ab eodem solo » Romano Pontifice possit infallibili auctoritate quaelibet » dirimi quaestio » respondemus Romanum Pontificem *ex Cathedra* docentem, in rebus fidei et morum esse quidem infallibilem, inde tamen non sequi superfluam esse Conciliorum Œcumenicorum celebrationem; haec enim utilissima sunt ad depositum revelationis explorandum, atque veluti medium sunt, quo facilius Pontifex ad tutam revelatae veritatis cognitionem perveniat. Quandoquidem sive Romani Pontificis, sive Conciliorum infallibilitas media non excludit

ad veritatem, de qua agitur, assequendam; namque, ut diximus superius, non per modum infusi doni, sed per modum praesidii, seu, ut aiunt, per *adsistentiam* Deus illam promisit. — Praeterea dogmaticae Romani Pontificis definitiones totam quidem vim ex se habent, verum cum novatores eis contumaces obsistant, turbas moveant, incautos decipiant, Concilia interdum convocantur, non ad intrinsecam vim dogmaticis decretis Romani Pontificis conferendam, sed ad auctoritatem extrinsecam iis adjiciendam, ut nempe ex multorum collatis suffragiis, atque solemni adhaesione ad Pontificiam definitionem magis patescat totius Ecclesiae Catholicae fides, ac ad unitatem vel contumaces facilius revocentur, vel solemnius eorum pervicacia damnetur. — Demum licet Pontificiae definitiones irrefragabiles sint, tamen Conciliorum celebratio valde utilis est tum ad cognoscendum et statuendum accuratius in re disciplinari quid quoquo loco pro rerum adiunctis magis expediat, in coetu enim Antistitum ex omnibus orbis regionibus convenientium melius innotescunt singularum gentium usus et necessitates; tum ad pervidendos, eligendosque aptiores modos, quibus Conciliaria decreta executioni demandentur; nam Episcopi talia decreta subscribentes, non modo se iis assentiri profitentur, verum etiam promittunt se totis viribus nisuros, ut eadem in suis dioecesibus adamussim serventur. Ergo quamvis Summi Pontificis auctoritas ad infallibilem veritatis definitionem sufficiat, Concilia tamen Œcumenica per accidens sunt opportunissima ad fidei, morum, et ecclesiasticae disciplinae tutelam ac munimentum.

CASUS II.

Ut Concilium Œcumenicum legitimum sit, et infallibilitate polleat, inquit Horosius, ad instar Concilii Hierosolymitani, quod procul dubio caeterorum Conciliorum norma esse debet, convocandi sunt ut iudices non tantum Episcopi, verum etiam Presbyteri, saltem curam animarum habentes, et alii viri docti quamvis laici, quinimo ipsimet haeretici et schismatici; omnes praeterea et singuli totius orbis Episcopi interesse debent, et quidem cum plena suffragii libertate; requiritur demum, ut accedat unanimis acceptatio et consensus Ecclesiae universae.

Quaeritur 1. Quinam sint de iure convocandi ad Concilium Œcumenicum?

Q. 2. Utrum Episcopi vere iudices sint, an tantum consiliarii?

Q. 3. A quonam confirmari debeat Concilium Œcumenicum?

Judicium feratur de iis, quae asserit Horosius.

RESOLUTIO.

Resp. ad. Q. 1. Episcopi solum ad Concilium Œcumenicum iure Divino sunt convocandi. Illi enim solum iure Divino sunt convocandi, quorum est definire quae sunt credenda et agenda, quique iurisdictionem habent non modo in foro interno, sed etiam in externo. Tales autem non sunt nisi Episcopi, qui proprie Successores sunt Apostolorum, quibus a Christo Domino concreditum est munus docendi,

et promissa perpetua adsistentia, necnon impositum officium pascendi et regendi Ecclesiam Dei per illa verba: *Euntes in mundum universum... docete omnes gentes... Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (1). *Pascite qui in vobis est gregem Dei* (2). *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (3). — Idipsum confirmatur ex traditione, et usu Ecclesiae, quae non solet nisi Episcopos de iure Divino vocare ad Concilia generalia.

Quamvis autem soli Episcopi iure Divino convocandi sint ad Concilium Œcumenicum, tamen nihil obstat quominus ex concessione Ecclesiae alii etiam vocentur Episcopali dignitate carentes: sic ex privilegio et consuetudine admittuntur cum iure suffragii deliberativi tum S. R. E. Cardinales Episcopali dignitate non insigniti, qui Summi Pontificis Senatum constituunt, eique opem ferunt in regimine Ecclesiae universae, tum Abbates caenobiorum, atque Moderatores, seu, uti vocant, Generales Ordinum Regularium, sive quia iurisdictione *quasi Episcopali* gaudent, sive quia traditionem suorum caenobiorum et ordinum testari possunt. Quoad Episcopos *in partibus*, nullum dubium est, quin iure Divino voce deliberativa in Concilio gaudeant qui in infidelium regionibus horum conversioni adlaborant, nam et ipsi Apostolicis muniis incumbunt, imo quandoque illorum interventus requiritur ad quasdam quaestiones solvendas, vel controversias dirimendas. Si vero sermo sit de illis Episcopis *in partibus*, qui infidelium conversioni nullam operam impendunt, atque *titulares* dicuntur, gravissimi auctores negant hos habere ius absolutum ac completum ferendi iudicii in Conciliis, eo quod et subditis et iurisdictionis exercitio careant, quod requiritur ad iudicis

(1) Matth. XVIII. (2) I Petri, 5. (3) Act. Apost. 10.

munia obeunda. At nostrum non est hanc quaestionem definire; quae videri potest apud Scriptores rerum Canonicarum, praesertim De l' Advocat *Tract. de Conciliis* (1). Caeteri vero Theologi, Canonistae, Officiales Ecclesiastici etc. qui ad Concilium vocantur, nullum habent ius suffragii deliberativi, sed tantum ut consiliarii Concilio intersunt. Quandoque etiam vocantur Catholici Principes, non ut de rebus Ecclesiasticis sententiam ferant, sed vel honoris gratia, vel ut Concilii Decreta sua auctoritate tueantur, eorumque executionem iuvent.

Resp. ad Q. 2. Episcopi in Concilio Œcumenico non sunt tantum Consiliarii, sed veri iudices iure suffragii deliberativi gandentes, Summo tamen Pontifici subordinati. Id constat ex Concilio Apostolico Hierosolymis habito, ubi post Petrum Iacobus suam his verbis sententiam dixit: ***Propter quod ego iudico*** (2); et sententia Synodica his verbis fuit pronunciata: ***Visum est Spiritui Sancto, et nobis***(3). Hinc Episcopi in Conciliis subscribunt per haec verba: ***Ego N. statuens, vel definiens subscripsi.*** Revera Episcopali officio adnexa est potestas docendi, ligandi, atque solvendi, qua non expoliantur Episcopi in Concilio congregati. Nec officit, quod Summi Pontifices soleant dicere, ***Sacro approbante Concilio, De Fratrum nostrorum Consilio***, quia Episcopi adprobant quidem, et consilium praebent, sed non solum id praestant, verum etiam iudicant cum Pontifice. Dicit autem Pontifex de eorum consilio, et non iudicio, quia consilium ab eis accipit, non vero iudicium, nec iudicandi potestatem, quam a Deo solo habet.

Quamvis autem Episcopi in Concilio Œcumenico sint vere iudices cum iure suffragii deliberativi, sunt tamen, ut innuimus, subordinati summo Pontifici, quia summus Pontifex

(1) Regnier *Tract. de Ecclesia.* Pars I. Sect. III, c. VII.
(2) Act. Apost. XV, 19. (3) Act. Ap. XV, 28.

vi Primatus, quem in universam Ecclesiam, ac in omnes Episcopos sive distributive, sive collective sumptos, divina ordinatione gerit, sedet in Concilio non simpliciter ut Praeses, sed ut Princeps, atque ideo non tenetur maiorem Episcoporum in Concilio iudicantium partem sequi, sed potest illorum iudicium, si hoc a veritate deflectat, propria auctoritate irritare, uti factum esse novimus quoad Concilium Ephesinum II, Ariminense, et Canonem 28 Concilii Chalcedonensis.

Resp. Ad Q. 3. Concilium Œcumenicum necessario confirmari debet a Romano Pontifice, ut ratum ac firmum sit in suis decretis sive fidei, sive morum, sive disciplinae. Nam Concilium habetur uti Œcumenicum et infallibile, quatenus Ecclesiam universam repraesentat, cui infallibilitatem Christus promisit. Iamvero Ecclesiam universam non repraesentat, nec infallibilitate fruitur, nisi Caput suum seu Romanum Pontificem secum iudicantem habeat, nec censetur Romanus Pontifex iudicium proferre, nisi cum Concilii decreta confirmat. Quod si de Decretis disciplinaribus sermo sit, haec nequeunt obligationem inducere in universam Ecclesiam, nisi cum ab Ecclesiae Capite sancita fuerint. Hinc ratio certo cognoscendi utrum Concilia Œcumenica legitima fuerint, nec ne, est confirmatio Romani Pontificis, cui in Petro et per Petrum datum est pascere et regere universum Dominicum gregem, datum estpetram esse et fundamentum Ecclesiae visibilis, et confirmare fratres suos.

Ex hactenus dictis patet a vero abesse quae asserit Horosius, nempe ut « Concilium Œcumenicum legitimum sit, et » infallibilitate polleat, ad instar Concilii Hierosolymitani, » convocandos esse ut iudices non tantum Episcopos, verum » etiam Praesbyteros, saltem curam animarum habentes, et » alios viros doctos quamvis laicos, quinimo ipsosmet haere» ticos et schismaticos. » Nam licet concedamus Concilio Hierosolymitano una cum Apostolis alios etiam Episcopali ordine non insignitos adfuisse, tamen animadvertimus non

omnes eodem modo illi interfuisse. Quandoquidem Apostoli adfuerunt, ut iudices, iuxta illud Iacobi: *Propter quod ego iudico etc.* (1). Caeteri vero adfuerunt Concilio vel ut consultores, vel si ad definiendum, non iure Divino, sed privilegio ipsis a Petro concesso, vel dumtaxat ut auscultarent, tacerent, et obsequerentur. Hanc normam subsequentia Concilia tenuerunt; Episcopi enim, caeterique suffragium habentes deliberativum vel ex consuetudine, vel ex privilegio iisdem interfuere, ut iudicarent et definirent; alii viri docti, ut Consiliarii; caeteri vero laici, ut tacerent, et definitionibus obtemperarent.

Hinc negamus ad Concilium Œcumenicum, ut legitimum sit, et infallibilitate polleat, convocandos esse ut iudices » Praesbyteros curam animarum habentes; » quia isti non sunt primarii et proprie dicti Pastores, sed, ut inquit Angelicus: *Habent tantum aliquas administrationes sub Episcopis* (2). Neque convocandi sunt ut iudices « viri laici quamvis docti; » quia cuiuscumque sint conditionis aut dignitatis etiam regiae, non habent iurisdictionem in foro exteriori Ecclesiastico, cum haec sit spiritualis. — Neque convocandi sunt ut iudices « haeretici et schismatici; » quia qui pertinaciter et aperte haeresi vel schismati adhaerent, ius amiserunt sedendi inter iudices in rebus fidei: ratio enim, et praxis Ecclesiae non sinunt, iudicandi munere fungi in causis religionis illos, qui notorie ipsius doctrinam aversantur et repudiant, aut licet dogmata retineant, ipsius tamen auctoritatem aspernantur, iugumque detrectant, ideoque extra Ecclesiae communionem versantur. Nec tamen notoriis haereticis, aut schismaticis aditus ad Concilia praecluditur; imo ad ea quandoque invitantur, prout invitati fuerunt ad Concilium Lugdunense secundum, Florentinum, Tridentinum; quod quidem nuperrime praestitum

(1) Act. Ap. XV, 19.
(2) S. Tho. 2. 2. q. 184, n. 6 ad 2.

fuit a Summo Pontifice Pio IX (2), qui Gregorii X, et Eugenii IV vestigiis inhaerens, datis publicis literis, ad proximum Concilium Vaticanum schismaticos orientales, protestantes, aliosque acatholicos invitavit. Idque factum fuit, ut per argumentorum vim, quibus Catholica veritas in Concilii disceptationibus demonstratur, et praesertim adiuvante Dei gratia, quae plenius hisce in adiunctis effunditur, ad Ecclesiae sinum redeant, eiusque doctrinam integre excipiant.

Negamus quod addit Horosius, nempe ut Concilium Œcumenicum legitimum sit, et infallibilitate polleat « omnes et » singulos totius orbis Episcopos interesse debere; » etenim minime requiritur, ut omnes omnino totius orbis Episcopi intersint, universalitas enim in hisce rebus non *physica*, utpote saepe impossibilis, sed *moralis* attenditur; aliter enim generalia Concilia nunquam celebrari possent, cum semper aliqui Episcopi, sive propter infirmitatem, sive propter senectutem, vel alias causas adesse nequeant. Neque requiritur certus Episcoporum numerus, quia id neque ex Sacra Scriptura, neque ex Traditione, neque ex usu habetur; sed solum opus est, ut convocatio Summi Pontificis auctoritate facta, omnibus saltem maioribus provinciis innotescat, et nullus ex toto orbe verus Episcopus excludatur, sed aliqui ex maiori parte provinciarum adsint, qui caeteros repraesentent; sic tamen ut si celebretur Concilium in Oriente, plures ex Oriente adsint, et aliqui ex Occidente, qui alios repraesentent; et e converso si celebretur in Occidente. Id patet ex praxi, quam Ecclesia in anterioribus Conciliis secuta est.

Demum negamus quod subdit Horosius, scilicet ut Concilium Œcumenicum legitimum sit, et infallibilitate polleat « requiri, ut accedat unanimis acceptatio et consensus Ecclesiae universae. » Namque Concilium Œcumenicum a Romano Pontifice confirmatum, legitimum et in suis dogmaticis

(1) Lit. Apostol. *Arcano* 8 sept. 1868; et *Jam vos* 13 sept. 1868.

decretis infallibile est ex se, seu ante consensum et acceptationem ulteriorem Ecclesiae universae, sive haec accipiatur pro coetu Pastorum, sive pro coetu Cleri inferioris, aliorumque christifidelium. Id enim constat non solum ex Conciliorum infallibilitate, quam ostendimus in praecedentis Casus resolutione, verum etiam 1.° ex sensu totius antiquitatis, quae nullo ulteriori expectato Ecclesiae consensu, aut acceptatione, velut haereticos illico habuit quotquot dogmaticis Conciliorum definitionibus obtemperare detrectarunt. 2.° Ex anathemate, quo Concilia eos omnes perculerunt, qui non sentirent ac crederent prout a Conciliis definitum erat. 3.° Ex tessera unica, quae semper adhibita est ad secernenda Concilia legitima ab illegitimis, nempe confirmatione Romani Pontificis, quin alia re opus fuerit. 4.° Ex facto ipso; exploratum siquidem est illa tantum Concilia tanquam infallibilia spectata fuisse, quae confirmata fuere a Romanis Pontificibus, illa vero ab hoc censu fuisse exclusa, quae tali suffragio caruerunt, nulla habita ratione ulterioris Ecclesiae adprobationis, quae subsecuta sit Pontificum confirmationem (1). 5.° Demum ex eo quod Pastores ipsi, quin velint ab Ecclesia exscindi, teneantur iudicio dogmatico Concilii Oecumenici a Romano Pontifice confirmati assentiri; quod et praestare tenentur inferiores clerici, caeterique fideles, alioquin oves pascerent et confirmarent pastores, eosque docerent.

(1) Cons. Zaccaria *Antifebronio* tom. 4, lib. IV, p. 2, c. 4. — Perrone Praelect. Theol. vol. II, par. II, cap. III.

CASUS III.

Romanus Pontifex, ait Scipio, potestatem, qua veluti Petri successor ac Christi Vicarius, et totius Ecclesiae Caput pollet in universa Ecclesia, ab eadem Ecclesia accepit; ideoque suprema auctoritate non gaudet in omnes Episcopos in Œcumenico Concilio congregatos. Ipsa enim ratio et sensus naturae communis docent, totum majus esse sua parte; iam vero Concilium est totum, Pontifex autem tantum Ecclesiae pars, quamvis praecipua; Concilium igitur majus est Pontifice. Hinc jure merito a Conciliis Œcumenicis Constantiensi et Basileensi definitum fuit Concilium generale esse supra Pontificem; et Clerus Gallicanus celeberrima *Declaratione* anni 1682 auctoritatem Concilii generalis supra Pontificem propugnavit.

Judicium feratur de iis, quae asserit Scipio.

RESOLUTIO.

Male asserit Scipio « Romanum Pontificem potestatem, » qua veluti Petri Successor, ac Christi Vicarius, et totius » Ecclesiae Caput pollet in universa Ecclesia, ab eadem Ec- » clesia accepisse. » Nam Romanus Pontifex potestatem hanc non ab Ecclesia, sed immediate habet a Christo; primatus enim honoris et iurisdictionis in universam Ecclesiam non fuit Ecclesiae collatus, ut inde derivaretur in Petrum eiusque Successores, sed ipsi Petro fuit immediate a Christo collatus,

juxta illa verba: *Tu es Petrus, et super hanc petram etc.* (1). *Pasce agnos meos, pasce oves meas etc.* (2) Quibus verbis Petri primatum et jurisdictionem in universam Ecclesiam, atque in caeteros Apostolos constans traditio, et Patrum doctrina adseruit. Quum vero huiusmodi primatus fuerit a Christo institutus, et Petro collatus ad Ecclesiae unitatem constituendam et conservandam usque ad consummationem saeculi, profecto in perpetuum perdurare debuit in Ecclesia, atque ex Christi voluntate in Petri Successores transire. Iamvero Successores Petri alii censeri non possunt quam qui in eius Episcopatum succedunt, eiusque Cathedram occupant, videlicet Romani Pontifices; qui propterea eodem jure in Petri primatum succedunt, eumque tenent, quo Petrus illum accepit, ac usque ad obitum tenuit, nempe jure divino; atque proinde potestatem illam, qua pollent in universa Ecclesia veluti Petri Successores, ac Christi Vicarii non ab Ecclesia habent, sed immediate ab ipso Christo. — Idem constat ex Patribus, qui non modo Romanos Pontifices vocarunt *Petri Successores*, sedemque Romanam *Cathedram Petri*, *Ecclesiarum matricem*, *verticem*, *caput etc.*, verum etiam explicitis verbis dixerunt Romanum Pontificem illum esse, *cui vineae* (Ecclesiae) *custodia a Salvatore commissa est*, uti Patres Concilii Chalcedonensis (3); super Romanum Pontificem veluti super petram *aedificatam Ecclesiam a Christo esse*, uti Hieronymus, et Augustinus (4); *Pontifici in persona Petri a Christo pascendum fuisse traditum universum gregem suum*, ut iterum Augustinus (5) et alii passim, quos longum esset recensere. — Patrum testimoniis accedit

(1) Matth. XVI, 18. (2) Ioan. XXI, 15, 17.

(3) *In Epist.* ad Leonem M.

(4) Hieronymus *Epist. IV ad Damasum* n. 2; — Augustinus in *psalmo contra partem Donati*.

(5) In lib. *contra Epist. fundament.* cap. 4.

perpetua et constans Ecclesiae praxis et persuasio. Ab ipso enim Ecclesiae exordio Romani Pontifices primatus jura et auctoritatem in universam Ecclesiam exercuerunt; Episcopi vero sive dispersi, sive in Concilio congregati eandem potestatem facto ipso agnoverunt, non alio sane titulo, quam ex illorum successione in Cathedram Petri atque ex divina ordinatione. — Rem denique conficiunt Patres Concilii Œcumenici Florentini anno 1430, qui utriusque Ecclesiae graecae et latinae assensu hanc edidere definitionem in Decreto Unionis: ***Definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis Œcumenicorum Conciliorum, et in sacris canonibus continetur*** (1).

Male infert Scipio « Romanum Pontificem suprema auctoritate non gaudere in omnes Episcopos in Œcumenico » Concilio congregatos. » Auctoritas enim, quae a Christo vi primatus collata est Petro, adeoque eius Successoribus quoad universam Ecclesiam, auctoritas est episcopalis, immediata nempe, et ordinaria pascendi ac regendi gregem seu populum sibi commissum, ac proinde omnes complectitur Christifideles, etiam Episcopos, licet in Œcumenico Concilio congregatos. Revera Christus per ea verba: ***Tu es Petrus, et super hanc petram etc.*** (2) Petrum in sua, eiusque Successorum persona fundamentum Ecclesiae suae constituit sine ullo discrimine inter Ecclesiam dispersam, vel congregatam. Item his verbis: ***Ego rogavi pro te etc.*** (3), Christus soli Petro

(1) Perrone *Op. et loc. cit.* (2) Matth. XVI, 18. (3) Luc. XXII, 32.

eiusque Successoribus promisit indeficientem fidem, et munus demandavit confirmandi fratres, Apostolos videlicet, quemadmodum eius Successores in primatu confirmare debent Episcopos, sive dispersos, sive congregatos. Itidem per haec verba: *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (1), Christus soli Petri personae et Successorum universum gregem suum pascendum commisit, qui agnis et ovibus constat, populo scilicet et pastoribus, sive dispersi sint, sive congregati. — Patres ex praedictis testimoniis collegerunt primatum Petro eiusque Successoribus in perpetuum a Christo collatum in universam Ecclesiam, quin unquam in eorum mentem venerit distinctio inter Episcopos dispersos, et in Concilio congregatos. Hinc illae appellationes, quibus ipsi Petrum, aut Romanum Pontificem absolute nuncuparunt *Episcopum Episcoporum*, *Pontificem universalem*, *Pastorem pastorum*, *caput capitum*, *caput Ecclesiae*, *caput supremum* (2).—Ipsi Episcopi in Conciliis Œcumenicis congregati Romanum Pontificem sibi superiorem professi sunt, sive expressis verbis, uti constat ex Patribus Concilii Chalcedonensis, sive facto, dum omnia Conciliorum decreta ad Romanum Pontificem transmiserunt probanda et confirmanda. — Huc denique spectant definitiones Concilii Lateran. IV, quod Romano Pontifici plenam et ordinariam auctoritatem in universam Ecclesiam adstruit (3), tum verba superius allata Concilii Florentini definientis *plenam illi potestatem* a D. N. I. C. pascendi, regendi, et gubernandi *universam Ecclesiam* traditam esse (4). Igitur affirmari nequit Episcopos *distributive* spectatos Romano Pontifici subjici, *collective* autem, seu in Concilio

(1) Ioan XXI, 15, 17.

(2) Cons. Teoph. Raynaudum in op. *Corona aurea*, ubi innumeri prope tituli eiusmodi inveniuntur.

(3) In collect. conc. Veneta Coleti, *tom.* 13 *pag.* 937.

(4) Perrone *et cit. cap. III.* — Martinet *Instit. Theol. Praelect. Theol. vol. II, p.* 11, *c. III, tom. III. lib. V. art. V.*

congregatos, eidem praeeminere, quin verba Christi ad alienam, inusitatam, et catholicae antiquitati contrariam significationem detorqueantur.

Inepte additur a Scipione: « Ratio et sensus naturae » communis docet, totum majus esse sua parte; iamvero » Concilium est totum, Pontifex autem tantum Ecclesiae » pars, quamvis praecipua; Concilium igitur majus est Pon» tifice ». Etenim ratio quidem, et sensus communis docet totum majus esse sua parte, si de toto *physico* sermo sit, minime vero si de toto *morali*. Idcirco absonum est a magnitudine physica ad auctoritatem moralem transire, perinde ac si ab illa haec esset dimetienda. In hac hypothesi major esset auctoritas exercitus, quam ducis, filiorum quam patrisfamilias, Ecclesiae quam Christi: nam spectata quantitate minor est dux exercitu, paterfamilias filiis, Christus Ecclesia. Adde, in Ecclesia auctoritatem communicatam esse extrinsecus a Christo, adeoque ibi majorem reperiri, ubi majorem Christus collocavit, iamvero Christus non Ecclesiam Petro, sed Petrum Ecclesiae praeposuit ut caput, pastorem, principem, ac vicarium suum. Nec omittendum Scipionem pro certo sumere quod falsum omnino est, nempe Ecclesiam *acephalam*, seu sine capite, tanquam *totum* spectari posse; quum ea sine Capite, seu Romano Pontifice ne Ecclesiae quidem nomine appellari queat.

Ad illud, quod asserit Scipio « a Concilio Œcumenico Constantiensi definitum fuisse Concilium generale esse supra Pontificem, » respondemus 1.° ex Ecclesiastica historia constare Concilium Constantiense saeculo XV celebratum vere Œcumenicum non fuisse cum habitae sunt duae illae Sessiones IV et V, in quibus decreta de Concilii potestate supra Pontificem edita fuerunt. Quum enim tunc temporis tres essent Pontifices (Joannes XXIII, Gregorius XII, et Benedictus XIII), quorum quisque Pontificiam dignitatem sibi vindicabat, et populos sibi adhaerentes habebat, illis Sessionibus non

interfuerunt, nisi Praelati ex parte Joannis XXIII (qui insuper inter se non conveniebant quoad praefata decreta), absentibus, imo aperte contradicentibus Episcopis, qui partes Gregorii XII, et Benedicti XIII sequebantur (1).

2.° Admissis etiam praedictis decretis, inde tamen inferre nequit Scipio Concilium esse supra Pontificem; quia decreta illa intelligenda non sunt de Conciliis generalibus extra tempus schismatis coactis, scilicet cum unus et certus est Romanus Pontifex, sed tantum de Conciliis eo tempore congregatis, quo duo vel plures Pontificiam auctoritatem sibi sumunt, nec certo constat de vero Pontifice, ut in casu memorato. Etenim in eiusmodi adiunctis cum nullus sit Papa, (nam Papa dubius non est Papa, quia non est Caput visibile Ecclesiae), non diffitemur Concilium generale legitime congregatum, ob urgentem necessitatem conservandi unitatem Ecclesiae, potestatem habere a Christo Domino ea constituendi, quae ad schismatis extirpationem, et veri Pontificis designationem pertinent, quibus decretis quilibet cujuscumque conditionis, aut dignitatis etiam Papalis obtemperare tenetur. Hoc autem sensu esse intelligenda praedicta decreta Constantiensis Concilii constat ex ipsius Concilii verbis (2); in decreto enim Sess. IV, et in prima parte decreti Sessionis V, sermo est tantum de Concilio Constantiensi *pro extirpatione praesentis schismatis* convocato. Equidem in decreto

(1) Ballerini *De potest. ecclesiast. Sum. Pont. et Conc. Gen.* Cap. VII. — Rohrbacher *Storia Universale etc.* Lib. 81.

(2) Concilium Constantiense Sessione IV sic decernit: *Haec sancta Synodus Constantiensis, generale Concilium faciens pro extirpatione praesentis schismatis et unione, ac reformatione Ecclesiae Dei in capite, et in membris facienda... Et primo, quod ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitime, generale Concilium faciens, et Ecclesiam catholicam militantem repraesentans potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis, etiamsi*

Sessionis V dicitur: *Et cuiuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati;* sed dictum statim contrahitur subjiciendo: *Super praemissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis:* scilicet ad extirpandum schisma, et dubium de veri Pontificis persona removendum, quae vera et propria causa fuit Concilii Constantiensis celebrandi, ut patet ex verbis initio Decretorum positis, et confirmatur etiam testimonio Cardinalis Joannis e Turrecremata, qui huic Concilio interfuit (1). — Neque obstat quod post praedicta Decreta immediate legitur: *Et reformationem generalem Ecclesiae Dei in capite et in membris*: quamvis enim concederemus hanc locutionem esse genuinam in secundo Decreto (quam tamen doctissimi auctores a Synodo Basileensi posterius adulteratam fuisse contendunt) (2); nihil tamen inde contra nostram sententiam inferri potest, quia decreta illa loquebantur in subjecta materia, scilicet de casu Papae dubii: nam tunc suprema potestas residet in Concilio, in definiendo quis sit verus Pontifex; et quisque definitionibus Concilii subjici et parere debet. Caeterum in Congregatione habita 11 sept. 1417 definitum fuit quod *Papa rite et canonice electus a Concilio ligari non posset*. Concilium autem ipsum Constantiense facto ostendit se tantum voluisse decernere de Papa dubio, non vero de certo; nam simul ac fuit electus Martinus V, quem universalis Ecclesia ut certum Pontificem agnovit, hic se

papalis existat, obedire tenetur in his, quae pertinent ad fidem, et extirpationem dicti schismatis, et reformationem generalem Ecclesiae Dei in capite, et in membris. Et Sess. V idem decretum repetit et addit: *Item declarat, quod quicumque praeceptis huius sacrae Synodi, et cuiuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati, super praemissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contempserit....*

(1) In Summa de Ecclesia cap. 99.

(2) Troila *Tract.* 7 *art.* 7, § 8, *n.* 54. — Emmanuel Schelestrate Tract. *De sensu, et auctor. Decr. Const. Conc.* Sess. 4, et 5.

Concilio superiorem esse facto demonstravit ; nam statim solus definivit cum clausula *Sacro approbante Concilio*, idemque Concilium sua voluntate dissolvit, Patribus non abnuentibus hunc supremae auctoritatis actum, quem Romanus Pontifex in ipsos exercebat.

3.° Quamvis concederemus praedicta Decreta Constantiensia esse intelligenda de quocumque Concilio Generali, etiam extra casum schismatis, et dubii Pontificis, nihil adhuc proficeret Scipio, quia illa Decreta non fuerunt probata ac confirmata a Martino V, qui in Sessione XLV, quae ultima fuit (22 apr. 1418), probavit ac confirmavit dumtaxat *Conciliariter acta, et definita in materiis fidei, et non aliter, nec alio modo*; idest confirmavit solum *conciliariter* acta, uti condemnatio errorum Wiclephi, et Joannis Huss, non vero quae *aliter et alio modo* (verba sunt illius Pontificis) completa fuerunt; at duae illae Sessiones IV et V non *conciliariter*, sed alio omnino modo locum habuerunt, idest absentibus, imo obsistentibus Praelatis ex parte Gregorii XII, et Benedicti XIII, ergo dici nequit eas a Martino V fuisse confirmatas.

4.° His adde: si praedicta Decreta Constantiensia essent Decreta fidei a Concilio vere Œcumenico sancita, nemo Catholicorum ausus fuisset illis contradicere sine haereseos labe: at non solum ipse Martinus V (1) in Concilio illis contradixit, ut innuimus, sed paulo post Concilium plures Theologi doctrina et sanctitate insignes contrarium docuerunt, inter quos Turrecremata (2), Ferrariensis (3), S. Antoninus (4). Contrarium quoque censuisse constat ipsosmet praecipuos horum

(1) In Bulla *Ad perpetuam rei memoriam*, quam promulgavit in ultima illius Concilii sessione. Ipse Gerson eandem Bullam vocat « destruentem *fundamentale penitus robur* Concilii Constansiensis », in *Dial. apologetico pro condemn. propos. I Parvi*, opp. edit. Ellies Dupinii. Antuerp. 1706, tom. 2, col. 590.

(2) In Summa de Ecclesia. (3) In *lib.* 4 cont. Gentes *cap.* 75.

(4) In Summ. *p.* 3 *tit.* 23 *c.* 3 § 3.

decretorum defensores Gersonem (1), et Card. de Alliaco (2). Subsequentibus temporibus omnes ferme Theologos omnium aliarum nationum, excepta Gallia, contrariam pariter doctrinam palam docuisse testatur Billuart (3). Pius II vero (4), Iulius II, Gregorius XIII, aliique Pontifices districte, et sub anathematis poena appellationem a Papa ad Concilium interdixerunt. Eadem poena, et quidem latae sententiae fuit a Pio IX nuperrime confirmata, et speciali modo Romano Pontifici reservata (5).

Immerito igitur ex Concilio Constantiensi infert Scipio Concilium generale esse supra Pontificem (6).

Perperam subdit Scipio « a Concilio Œcumenico Basileensi definitum fuisse Concilium generale esse supra Pontificem. » Nam Basileensis hic conventus eodem saeculo XV habitus, nullo modo generalis Concilii nomen meretur, prout liquet ex ipsius gestis, de quibus dubitari nequit. Primum quidem, quia numerus Episcoporum fuit in eo tam exiguus, ut nulla umquam ratione potuerit universalem Ecclesiam repraesentare; Decreta enim voluntate

(1) In Tract. *Quomodo, et an liceat.*

(2) In Tract. *De Potestate Ecclesiastica.*

(3) Tom. 2 Diss. IV, art. VIII.

(4) In Bulla Mantuae promulgata an. 1459.

(5) In Constit. *Apostolicae Sedis*, qua Ecclesiasticae Censurae latae sententiae limitantur.

(6) Cons. Tract. *De sensu et auctoritate Decretorum Constansiensis Concilii* Sess. 4, et 5. Editorum, opera et studio D. Emmanuelis A. Schelestrate. — Billuart Tom. 2. Diss. IV. Art. VIII. — Liguori *Dissert. De Rom. Pontif. Auctorit.* § II. — De Maistre, *del Papa* Tom. 1, c. 12. *Del Concilio di Costanza, art.* 6. — Muzzarelli. *De Auct. Rom. Pont.* cap. 17. — Perrone *Praelect. Theol. Vol. II, par. I, sect. II, cap. III.* — Martinet *Instit. Theol. Tom.* 3 *lib.* 5 *art.* 5 § 4. — Rohrbacher *Storia Universale, lib.* 81, *pag.* 182 *et seqq.*

potius inferioris Cleri, atque *multitudinis populi parvi pretii*, *et nullius auctoritatis*, quam Episcoporum suffragiis edita fuerunt, uti constat ex Cardinali e Turrecremata (1), atque Cardinali Arelatensi (2), licet hic postremus praestantiam Concilii supra Romanum Pontificem in ea Synodo magnopere propugnaret. Quin imo Æneas Silvius de his decretis loquens, dixit: *Inter Episcopos vidimus in Basilea coquos et stabularios orbis negotia iudicantes* (3). Hinc Eugenius IV vel post primam Sessionem illud Concilium dissolvit. — Accedit suffragia data in hac Synodo non fuisse libera, ut videre est apud citat. Card. e Turrecremata, et Eugenium IV (4). Quare Concilium Florentinum damnavit declarationes Basileenses tamquam impias et scandalosas (5); Concilium vero Lateranense V Synodum Basileensem conciliabulum schismaticum, seditiosum, et nullius auctoritatis appellavit (6). — Denique Œcumenicum dici nequit Concilium Basileense propterea quod non fuerit a Romano Pontifice confirmatum. Etenim Eugenius IV licet ob angustias, quibus premebatur, decretum, quo prius Concilium dissolverat, revocaverit, et legitimae illius continuationi indulserit, tamen eius decreta minime probavit, ut ipsemet Pontifex declaravit in solemni congressu Florentiae habito, dicens: *Nos quidem bene progressum Concilii approbavimus, volentes ut procederet, ut incoeperat, non tamen approbavimus eius decreta.* Quod etiam indicavit ipse Eugenius in literis ad

(1) In resp. *ad Basileenses* hab. in Conc, Florentino et in *Summa de Ecclesia* L. 2, C. 100.

(2) Ex eius oratione, quae legitur apud Aeneam Silvium in *act. Basil.*

(3) Ludovicus Muratorius Tom. 2, *in suis anecdotis.*

(4) In Bulla ad Archiep. Colon. edita III febr. 1431.

(5) In Sessione 5 sept. 1439.

(6) Ut legitur in Bulla Leonis V edita praefato Concilio approbante.

Episcopos Leodiensem et Bononiensem, aliosque per Germaniam Legatos, et in Bulla *Moyses vir Dei*, data in Concilio Florentino. Nicolaus V autem Eugenii Successor ex omnibus decretis Concilii Basileensis approbavit tantum quae gesta erant circa censuras, et causas beneficiales.

Tandem nihil inferre potest Scipio « ex Clero Gallicano, » qui celeberrima *Declaratione* anni 1682 auctoritatem » Concilii generalis supra Pontificem propugnavit. » Haec enim famosa *Declaratio* nullius auctoritatis est, tum quia saepius reprobata fuit a Romanis Pontificibus Innocentio XI eodem anno 1682, ab Alexandro VIII anno 1690, a Benedicto XIV anno 1748, et deinde a Pio VI anno 1794 in Bulla *Auctorem Fidei* contra Synodum Pistoriensem, quae illam *Declarationem* adoptaverat; tum quia ab ipsis auctoribus fuit retractata, uti constat ex literis ab eisdem datis ad Innocentium XI, ad Innocentium XII. Ludovicus XIV pariter retractavit edictum, quo *Declarationis* theses in publicis scholis et academiis tradi praeceperat, ac vel ipse Bossuetius eiusdem *Declarationis* scriptor in haec verba erumpebat: *Abeat Declaratio quo libuerit.* — Adde hanc *Declarationem* falso adscribi toti Clero Gallicano, quia ex 130 Episcopis Gallicanae Ecclesiae, tantum 34 illi conventui adfuerunt, nec alii advocati sunt; et qui ab absentibus comprovincialibus missi sunt, necessaria ad id opus auctoritate carebant (1).

(1) Cons. Hyacinthus Serry Academiae Parisiensis Doctor in opuscolo *De Romano Pontifice.* — Billuart Dissert. *De Summo Pontifice, art. IV*, § 8. — Soardi in Regio Taurinensi Athaeneo juris utriusque Doctor in op. *De Suprema Rom. Pont. auctoritate hodierna Ecclesiae Gallicanae doctrina.* — Card. Litta, *Lettere sui quattro art. detti del Clero di Francia*, pag. 22. — Rohrbacher *Stor. Univers.* vol. 14, lib. 88, p. 282 — 283. — Scavini *Theol. Mor. lib.* 4, app. XXI ed. XI. — Casus *de Rom. Pontif. infallibilitate* nuper editus Monteregali, a pag. 22 ad 28.

CASUS IV.

Contra Ecclesiae Catholicae sanctitatem invehi non desinunt Protestantes eorumque asseclae. Ecclesia dici nequit sancta, aiunt, quia denominatio est desumenda a majori parte; at inter Catholicos plures sunt mali, quam boni: Religiosorum quoque, et Sacerdotum mores corrupti sunt: imo et inter Episcopos, et Pontifices Romanos pessimi extiterunt. Quod si plures in Ecclesia Romana inter sanctos sunt descripti, nemo est qui ignoret plures ex incerta fama in sanctorum album fuisse relatos, cum non coeperit fieri sanctorum *Canonizatio* nisi saeculo XII; medio aevo praesertim plerosque qui cucullum monasticum induissent, sanctos habitos esse. Superiore tantum saeculo, certa lege in eorum sanctitatem quaesitum fuit, nec sine partium studio, aut turpis etiam lucri suspicione; antea vero res tota ab unius vel alterius judicio utplurimum omnino pendebat.

Recensita Protestantium dicteria convellantur.

RESOLUTIO.

Resp. Contra Ecclesiae Catholicae sanctitatem immerito invehi non desinunt Protestantes, eorumque sectatores. Horum autem dicteria nullo negotio convelluntur. Revera ad ea, quae asserunt, Ecclesiam dici non posse Sanctam, « quia » denominatio est desumenda a majori parte, inter Catho- » licos autem plures esse malos, quam bonos » respondemus, dum sanctam dicimus Ecclesiam, non affirmamus singula

eius membra sanctitate morum excellere, sed tantum doctrinam, instituta Catholicae Ecclesiae ad sanctitatem ducere, praesidia ad ipsam consequendam aptissima suppeditare, et multos his recte utentes ad veram sanctitatem perduci, quam sanctitatem supernaturalibus signis Deus saepe testatam voluit. — Negamus autem « denominationem semper » esse desumendam a majori parte »; denominatio enim non semper a numero, vel extensione, sed saepe a parte nobiliori capitur, praesertim si de humanis societatibus agatur. Ergo etiam Ecclesia Catholica rectissime appellatur sancta, quod plures in ea inveniuntur virtute et sanctitate praediti, qui profecto nobiliorem eius partem constituunt. — Nec officit quod aiunt Protestantes, « inter Catholicos plures esse malos, quam bonos »: nam Ecclesiae doctrina, ut innuimus, instituta, Sacramenta, ritus, et caetera, quae ab ipsa suppeditantur praesidia, idonea prorsus sunt informandis ad omnigenam sanctitatem fidelibus, ut patet exemplo plurimorum, qui gloriae et decori eidem fuerunt, et sunt. Quod si multi etiam inter Catholicos vitam suam non recte componunt, et vitiis se dedunt, id non Ecclesiae, sed perversae potius eorum voluntati tribuendum. Suis enim pravis cupiditatibus irretiti Ecclesiae documenta spernunt, eius praeceptis non obtemperant, subsidia ab ipsa sibi oblata rejiciunt: nil mirum igitur si huiusmodi homines perditis moribus sint, et in omnia scelera dilabantur. At ex istorum plurium aut pauciorum improbitate nihil logice concludi potest contra Ecclesiae sanctitatem. Hinc Christus ipse praedixit malos in Ecclesia cum bonis commixtos semper esse debere, sicut in agro zizania cum tritico. Adde, Ecclesiam militantem non esse illam supernam ***Civitatem sanctorum***, ***aurum mundum simile vitro mundo***, et in quam ***non intrabit aliquod coinquinatum*** (1); sed esse

(1) Apoc. XXI 118 — 27.

societatem in terris positam ad peccatores, quales natura omnes sumus, transformandos in *Cives Sanctorum*, et dignos *domesticos Dei*. (1) Ad eam itaque pertinent peccatores tamquam materia prima, quae *scalpri salubris ictibus, et tunsione plurima perpolita*, (2) digna tandem evadat, ut in caeli fastigio locetur. Caeterum homines sanctitate eximia conspicuos, eosdemque pene innumeros ex omnibus fidelium caetibus quovis tempore in Ecclesia floruisse ille solus ignorat, qui eius historiam minime perlustravit (3).

Quoad « Religiosorum, Sacerdotum, Episcoporum mores, quos corruptos esse » contendunt Protestantes eorumque asseclae, certum est huiusmodi corruptionem esse magnopere exaggeratam, adeo ut vel ipsi heterodoxi sinceriores huius accusationis injustitiam agnoscant. Protestantes enim eorumque asseclae, si quempiam ex Clero in culpam lapsum (quod etiam inter Apostolos accidit)comperiunt, factum ubique evulgant, exaggerant, et abiecto omni justitiae et charitatis sensu,

(1) Ephes. II. 19. (2) Hymn. in Off. *Dedic. Eccl.*

(3) Cons. Collect. Bollandianam, quae licet sit ingentis molis, nondum tamen completa est, et iam supplementis non paucis indiget. — Cons. Hyppolitum Marraccium in pluribus Op. inscriptis: *Caesares Mariani; Principes Mariani; Heroides Mariani*; *Lilia Mariana, Fundatores Mariani*, edit. Romae post dimidium saeculi XVII. — Iodocum Cocciuın, in Op. *Thesaurus Catholicus*, tom. 1, lib. VIII, art. XI, ubi catalogum exhibet illustrium Ecclesiae Sanctorum usque ad aunum 1580, Coloniae 1600 — *Chronicon Chronicorum*, lib. II. *De prodigiis, et ostentis ab exordio mundi ad nostra usque tempora*, Francoforti in off. Aubiana 1614. Quamvis hoc opus a protestantibus prodierit, tamen plura continet, ex quibus Catholicae Ecclesiae sanctitas elucet, vel ipsis invitis. — Ranke *Hist. De la Papauté* tom. 1 livr. II, §. VIII. — De Maistre in Opp. du Pape livr. III, chap. 3, Lyon 1821, tom. II, pag. 80, seqq. — Nicolas *Studj filosofici sul Cristianesimo*, part. II, cap. II, — Perrone *De Divinitate* D. N. J. C. vol. III, Sect. I, cap. V, art. III.

in universum clerum crimen refundunt, nulla habita ratione tot Ecclesiasticorum virorum, qui inculpatam vitam ducunt, et omnium se praebent virtutum exemplar. Sed demus aliquot, vel etiam plures ex coetu Ecclesiastico malos esse, et vitiis deditos; nihil tamen inde inferri potest contra sanctitatem Ecclesiae, quae illos constanter reprobat, nec aliquid intentatum relinquit, ut ad emendationem adducat (1). Eccur adversarii non memorant etiam tot Ecclesiae ministros, qui quovis saeculo sanctitatis laude floruere, et ob heroicos virtutum actus ab omnibus celebrati sunt, ac vel ipsis impiis admirationi fuerunt (2)? Profecto manifestae injustitiae specimen praebent Protestantes eorumque asseclae, dum paucas vel leves solum quorumdam Ecclesiasticorum virorum maculas in aperto ponunt, et interea silentio praetereunt eximias virtutes, et praeclara gesta aliorum quamplurium, qui non minus Ecclesiae, quam civili societati sive directe, sive indirecte profuerunt, ac de utraque optime promeriti sunt (3).

(1) Martinet *Soluzione di grandi problemi*, vol. 4, cap. XXX. — Franco *risposte popolari alle obiezioni più comuni contro la Religione cap. XXVIII seqq. Edi.* 3.

(2) Cons. Opera superius laud. pag. 30, sub nota 3.

(3) Cons. Card. G. B. Baluffi: *La Chiesa Romana riconosciuta alla sua carità verso il prossimo, la vera Chiesa di Gesù Cristo*, Imola 1854. — Cons. etiam Severinus Fabriani: *Sopra l'immortal benefizio dagli Ecclesiastici recato alla letteratura nel Medio Evo. De' benefizi prestati dagli Ecclesiastici alle scienze.* Hic non erit inopportunum animadvertere, quod in generali, quam vocant, *expositione*, quae Lutetiae Parisiorum anno 1867 facta est, ex Italia duo tantum retulerint praemium ob novas inventiones, quorum alter vir religiosus est, alter vero ecclesiasticus. Caeterum hac in re cons. Io. Andres *De universa Literatura*, et Tiraboschi, *Historia Literaturae italicae etc.* — Collectio Casuum *de re dogmatica etc., qui resolvebantur in publicis collationibus Theol. habitis in Ecclesia Cathedrali Montisregalis* pag. 11, 13; et 145 ad 148.

Ad id, quod addunt Protestantes « Romanos Pontifices pessimos extitisse » respondemus illorum plerosque omni extitisse virtute ac sanctitate insignes. Quinquaginta septem istorum nomina in Sanctorum catalogo reperiuntur, inter quos, praeter martyres, semper emicabunt S. Innocentius, S. Leo Magnus, S. Gregorius item Magnus, ac S. Pius V (nostrae Monregalensis Ecclesiae decus et gloria). Non diffitemur quosdam extitisse Pontifices ab aliis degeneres, qui pro temporum calamitate humanae infirmitati succubuerint, ex iis praesertim, qui factionum vi in Petri Cathedram obtrudebantur(1). Verum praeterquamquod *Petri dignitas in indigno haerede non deficit*, iuxta praeclarum S. Leonis effatum, (2)hi paucissimi sunt, si cum serie tot Pontificum comparentur, qui et virtutis et doctrinae laude Apostolicam Sedem quovis saeculo illustrarunt. Nam, ut testatur vel ipse furiosus Bost, e protestantium schola, in serie 257 Pontificum, qui longo XIX saeculorum tractu in Petri Cathedra sederunt, nonnisi octo Pontifices recenseri possunt, qui ab officio institutoque desciverint, sub quibus tamen nullum unquam fides passa est detrimentum; imo ex his octo nonnulli adhuc subtrahendi essent, si eorum vita accuratiori censurae subjiceretur. Caeterum in Romanorum Pontificum serie,

(1) Notae sunt violentiae celebris Maroziae, quae Romae potita evehebat ad Sedem Apostolicam quos sibi libuisset; inter quos Ioannem XI nepotem suum, prout ejus mater Theodora, factiosa foemina, in carcerem detruserat ejus praedecessorem Ioannem X, qui paulo post periit. Idem dic de comitibus Tusculanis, qui arbitratu suo quos vellent ad Cathedram Pontificiam promovebant. Nil mirum proinde, si ejusmodi Pontifices degeneres se ostenderunt a virtute praedecessorum suorum. Verum de his consulendi sunt scriptores Historiae Ecclesiasticae Baronius, Raynaldus, aliique passim, cum de re notissima agatur.

(2) *Serm.* 3 *de natali ipsius III*, *cap.* 4 edit. Ballerin.

paucis his exceptis (1), qui, ut innuimus, non ita sancte vixerunt, caeteri, si perpendantur eorum gesta, labores, vexationes, aerumnae, et aliquando vitae ipsius jactura ad Dei gloriam, et totius Ecclesiae bonum tolerata, quilibet a praejudiciis immunis in admirationem rapietur, ac fateri debebit nullam aliam Episcopalem Sedem in universo orbe Catholico inveniri, quae viris adeo prudentibus, strenuis, et sanctitate praeditis abundaverit, sicuti Sedes Romana. Quod si quis Imperantium laicorum successiones expenderet, eaque severitate singulorum gesta inquireret, qua inquisitum est in gesta Romanorum Pontificum, procul dubio affirmare cogeretur illos ab his tantum distare, quantum terra distat a coelo. Tot enim in plurium regnorum historia inveniuntur flagitia, potestatis abusus, injusta bella, saevities, aliaque his foediora ab Imperantibus patrata, ut animus refugiat, et inhorrescat. Verum haec omnia a detractoribus Romanorum Pontificum alto silentio premuntur, ut nobis perpetuo nonnullorum Romanorum Praesulum scandala obtrudant.

Ad ea, quae dictitant Protestantes eorumque asseclae nempe » in Ecclesia Romana plures ex incerta fama in album San» ctorum fuisse relatos, cum fieri non coeperit Sanctorum » *Canonizatio*, nisi saeculo XII; medio aevo praesertim ple» rosque, qui cucullum monasticum induissent, sanctos » habitos esse » respondemus: verum non est in Ecclesia Romana plures ex incerta fama in Sanctorum album fuisse relatos; neque etiam verum est medio aevo plerosque, qui cucullum monasticum induissent, sanctos habitos esse. Etenim licet *Canonizatio* Sanctorum quoad modum, qui nunc

(1) Cons. Perrone *De Divinitate D. N. J. C.* Vol. III, sect. II, art. VI, § 3. — Martinet *Soluzione di grandi problemi*, vol. IV, cap. XXXII. — Franco *Risposte alle obiezioni contro la Religione*, cap. XXXII, ed. 3, Torino. — *La Lucilla disingannata Tor.* 1866.

adhibetur in Ecclesia, non semper fuerit in usu, fuit tamen semper servata quoad substantiam, ita ut nullus coleretur ut Sanctus, quin antea discussa et adprobata fuisset illius Sanctitas, sicuti ostendit Optatus Millevitanus, (1) atque Benedictus XIV in egregio Op. *De Beatif. et Canonizatione Sanctorum* (2). Haec vero discussio et adprobatio antiquitus fiebat ab Episcopo, vel Primate, sed pro suis Ecclesiis tantum, atque cultus ab iisdem decretus vim obtinere non poterat in universa Ecclesia, nisi accederet expressa, vel tacita Summi Pontificis auctoritas. Esto nonnullos ex veteribus Episcopis aliquando nimis faciles fuisse in tali cultu decernendo; hic tamen cultus particularis erat, non universalis. Caeterum haec nonnullorum Episcoporum facilitas in causa fuit, cur Apostolica Sedes hanc rem ad se revocaverit; et major, quae nunc obtinet severitas, in laudem cedit eiusdem Ecclesiae, quae sanctos gignit, de quorum eximia virtute et miraculis constat per examen, cui nullum comparari potest.

Ex his patet inepte addere Protestantes « superiore tantum » saeculo certa lege in sanctitatem eorum, qui in album » Sanctorum referebantur, inquisitum fuisse; antea rem » totam ab unius, vel alterius arbitrio dependisse. » Etenim primis utique saeculis Ecclesia non iisdem formis juridicis usa est, quibus nunc utitur in Sanctorum causis expendendis; at ex antiquissimis documentis constat, non sine praevia investigatione, nec sine sufficienti fundamento probatum fuisse cuiusvis Sancti cultum, atque Ecclesiam semper advigilasse, ne cultus indignis decerneretur. Revera vel primis Ecclesiae saeculis Pontificum sedula semper cura fuit, ut acta eorum, qui pro Christi fide moriebantur, sollicite et diligenter colligerentur a Notariis ad id constitutis, uti legitur

(1) Lib. I *Cont. Parmen.*

(2) Cons. laud. Op. Bened. XIV. Lib. I. — Billuart. Tom. 2 *Dissert. De Ecclesia*, art. VIII.

inter caeteros factum fuisse a Sancto Clemente, a Sancto Fabiano. Talis mos acta Martyrum colligendi, et sincere adnotandi ab Ecclesia Romana ad alias manavit Ecclesias, uti constat ex S. Cypriano, aliisque (1). Idem quoque praestitutum fuit quoad Confessores, quorum virtutes fideliter a probis viris descriptae servabantur in Diptycis Sanctorum illius Ecclesiae, in qua mortui fuerant, et post obitum miraculis claruerant (2). Actorum collectioni succedebat Examen, Examini Iudicium ecclesiasticum, neque cuicumque Dei Servo cultus publicus exhiberi poterat, nisi judicium de eius sanctitate praecessisset (3). Cultus autem institutus, intra particularis Dioecesis, vel Provinciae limites se continebat, ut diximus, nec extendi poterat ad universam Ecclesiam nisi accedente expresso vel tacito Summi Pontificis assensu (4). Ita res se habuit vel a prioribus Ecclesiae saeculis, donec Romani Pontifices, ut cuicumque abusui aditum praecluderent, has causas ad se exclusive revocarunt, et plura sapientissima et prudentissima decreta in eum finem ediderunt; praesertim Congregationem Sacrorum Rituum instituerunt, quae doctis Theologis, qui consultorum munere funguntur, utitur ad res singulas apte expendendas; processus instruuntur a fidei promotore aliisque idoneis viris; nec nisi difficultatibus omnibus, quae occurrunt, saepius discussis, atqne plene resolutis, Pontifex quidquam decernit super virtutibus in gradu eminenti, quibus fulsisse perhibetur ille, de quo agitur (5).

Falsum est quod asserunt protestantes « non sine partium studio » in eorum sanctitatem inquiri, qui in album Sanctorum referuntur; tanta enim severitate, tot adminiculis,

(1) Cons. egregium Op. Benedicti XIV *De Beatif. et Canonizatione Sanctorum*, lib. I, cap. III, ed. 2.

(2) Ibid. cap. V. (3) Ibid. cap. III, et VI.

(4) Ibid. a cap. VII ad X.

(5) Ibid. tum lib. I, cap. XXII, tum lib. II a cap. XXXV ad LIV. — Rohrbacher *Stor. Univers.* vol. 14, lib. 89, ediz. Torin.

tanto testium apparatu juridicum de eorum virtutibus et miraculis examen ab Apostolica Sede instituitur, ut sit omnino asserendum nullum existere in universa Europa tribunal, in quo tanto rigore causae discutiantur. Quod adeo verum est, ut Protestantes ipsi, quibus datum est rem hanc prope contrectare, evidentia victi fateri coacti sint, nonnisi ob caecum praejudicium *Canonizationem* Sanctorum, quae ab Ecclesia peragitur, posse in dubium revocari (1). — Quod subditur « non sine turpis lucri suspicione » inquiri in sanctitatem eorum, qui in album Sanctorum recensentur, Protestantium eorumque sectatorum calumnia est. Plurimae

(1) Ut quis certior fiat de rigidissimo undequaque examine, quod a Catholica Ecclesia instituitur tum circa factum, tum circa eius naturam, antequam decretum emittat de aliquo miraculo, legat celeberrimum opus, nunquam satis laudatum, Benedicti XIV. *De Beatificatione et Canonizatione Sanctorum*, praesertim *Lib. IV*. Ut leve specimen habeatur summae severitatis, qua miracula Romae expenduntur, operae pretium esset duo facta in medium adducere, quae valeant omnem suspicionem amovere. Alterum refertur ab auctore Vitae S. Vincentii, a Paulo de quodam miraculo ab hoc Sancto patrato erga Aloysiam Elisabetham Sackville, natione anglam, quae in Gallia apud Haye quemdam ex protestantibus reformatis degebat. Alterum narratur a P. Daubenton in vita S. Francisci Regis, de quodam conspicuo anglo protestante, qui tabulas a Romano Praelato sibi oblatas legit, in quibus plurium miraculorum probationes continebantur. Quamvis omnia praedicta miracula ipsis Protestantibus adeo evidentia et authentica visa essent, ut iuxta eorum sententiam in dubium revocari nequirent, tamen Sacra Rituum Congregatio illa non admisit defectu sufficientium probationum. Quae rigida Ecclesiae Romanae cautela ipsorum Protestantium admirationem quam maxime excitavit. — Cons. *Histoire abrégé de S. Vincent de Paul, par M. Collèt*, Avignon 1762, pag. 605, seqq. — *La vie du bienheureux Jean. — François Regis par le R. P. Daubenton*, Paris 1716, pag. 33.

enim impensae, quae in *Beatificationum* et *Canonizationum* causis requiruntur, sunt repetendae a longo, et rigido examine, quod instituitur in processibus conficiendis, atque eliminandis, quae occurrunt, dubiis. Hac in re exscribere sufficiat ea , quae Benedictns XIV se deprompsisse refert ex incognito Auctore (1): *Expensae si statutae fuissent , ut difficilior et exactior esset Causarum discussio , prudentia laudanda esset : sed quis est qui ignorare possit , quod Commissarii accedentes ad locum ubi Sancti vixerunt , vel in quo miracula facta sunt , ut sumant informationes, multitudo Testium examinandorum, multitudo scripturarum imprimendarum, honoraria solvenda negotiorum gestoribus, Congregationis Officialibus, magni Festi celebratio, necessario immensas quodammodo requirunt expensas, ex quibus nullum Camera Apostolica percipit emolumentum, et quarum magna pars fit extra Urbem.*

(1) In opere ex Gallico idiomate in latinum translatum, cui titulus *Discursus dogmaticus de Sanctorum Canonizatione* . pag. 65, Parisiis 1739; Benedictus XIV op. cit. lib. 7 cap. 46.